

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Amicicia ca
cum fontibus primis

Dissimilitudo morum, distancia
uite et ingenia contraria
soluunt amiciciam.

Inimicitiarum autem vitia gignuntur
ex malivolentia per
dissimilitudinem morum et distantiam
vitae et sectas atque ingenia contraria.

Lucius Apuleius Madaurensis, *De*
Platone et eius dogmate, 2.13 (P.
Thomas ed., p.116, ll.13-15).

Vir est namque, ni fallor, totius
popularitatis alienus; gratiam non captat
omnium sed bonorum, non indiscreta
familiaritate uilescens sed examinata
sodalitate pretiosus et a bono uiratu
aemulis suis magis prodesse cupiens
quam placere, seueris patribus
comparandus, qui iuuenum filiorum
non tam cogitant uota quam commoda;
in aduersis constans, in dubiis fidus,
in prosperis modestus, in habitu simplex,
in sermone communis, in contubernio
aequalis, in consilio praecellens;
amicitias probatas
enixe expetit, constanter retinet,
perenniter seruat; inimicitias indictas
honeste exercet, tarde credit,
celeriter deponit;
maxime ambiendus, quia minime
ambitiosus, non studet suscipere
sacerdotium, sed mereri.

Amicicias probatas
enixe expete, constanter retine,
perhenniter serua. Inimicitias indictas
exerce honeste, tarde crede, celeriter
depone.

Seneca in extrema parte epistolarum.

Sidonius Apollinaris, *Epistularum libri*
nouem, 7.9.22 (A. Loyen ed., vol.3,
pp.59-60).